

der Kaiserurkunden n. 172. Nach Abschrift von A. Werminghoff.

Fridericus Dei gracia Romanorum rex semper augustus prudentibus viris . . advocato, . . magistro civium, consulibus et civibus Constant(iensibus) fidelibus suis dilectis gratiam suam et omne bonum.

Cum nos divino largiente munere a saniori parte principum electorum omni exceptione maiorum in termino ad eligendum peremptorie et precise prefixo in regem Romanorum electi, a reverendo in Christo patre domino Heinrico sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopo, cui de iure et ex antiqua et approbata consuetudine Romanos coronare reges competit, existamus in loco, quo idem coronare potuit ut decebat plene per litteras apostolicas, quas sub bulla vera vidimus¹, coronam regiam cum unccione divina, observatis hiis que observari debent in talibus, assecuti, cumque universa sacro Romano subiecta imperio nostre celsitudini fide per hoc et obsequio prompta mente parere et intendere teneantur, universitatem vestram, quam eidem imperio semper novimus ex devocionis vestre promptitudine fuisse fidelem, affectuose requirimus, vos in fidei debito quo prefato astringimini imperio commonentes, quatenus non inspecto, quod quidam principes ad providendum vobis de generalis amenitate pacis fervidum minus quam decebat habentes affectum, illustrem Lud(owicum) ducem Bawarie in termino, quo eligere non poterant, eligendum duxerint, vos in nostram declinando partem nostre eminenie, que personam, consanguineos et res^a pro republica et quiete fidelium imperii promptis affectibus exponere non veretur, ea devocionis et fidei vestre promptitudine^b parere curetis et intendere, qua delectet non solum vestra vobis servare iura, libertates et gratias a dominis imperatoribus et Romanorum regibus vobis datas liberaliter ampliare, sed et nos semper et ubilibet inveniri debere benignos ad omnia, que sunt vel esse poterunt consona votis vestris.

Dat. in Selse, XVI. Kal. Ianuar., regni nostri anno primo.

Auf der Rückseite von der nämlichen Hand: Prudentibus viris . . advocato, . . magistro civium, consulibus et civibus Constant. fidelibus nostris dilectis. Das Siegel war rückwärts aufgedrückt.

a) 'et res' zweimal Or. b) 'promptitudinem' Or.

1) Siehe die Anmerkung 1 der vorigen Seite.